

hilas 1202. DISPUTATIO LOGICA,

DU
SYLLOGISMIS MODALI-
BUS PURIS:

Quam

DIVIno nostrI IesV ChristI nVMIne IVVante:

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRE:

DN. M. CASPARI
EBELII,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
MARPURGENSI LOGICES AC METAPHYSICAS
Professoris ordinarii, Domini Præceptoris,
Promotoris & Fautoris sui nullo non
honoris cultu prosequendi.

Publicè

In auditorio Philosophantium pro ingenii tenuitate exercitii gratiâ
ad diem 23. Martii ventilandam exhibet horis consuetis.

GEORGIUS DANIEL MOTERUS,
DARMESTATO-RHENANUS,



MARBURGI CATTORUM,
Typis NICOLAI HAMPELI, Typogr. Acad.
M DC XXXIII.

B44



VIRIS
ADMODUM REVERENDIS,
CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS:

Dn. SIMONI LEISRINCK, SS. Theolog. Doctori eximio, & Ecclesiæ, quæ apud Darmbstatis ~~Geavbēwaw~~ congregatur, Antisti-
ti Orthodoxo, finitimatissime Ecclesiarum Superintendenti vigi-
lantissimo, Dn. Patrono & promotori suo magnâ devotione ve-
nerando.

Dn. GEORGIO LEUCHTERO. Ecclesiæ Geravianæ pastori fide-
lissimo, vicinatumque Superattendanti dignissimo, Dn. cognato
& Fautori suo summâ observantia æternum suspiciendo.

Dn. M. JOHANNI LOTICHO, Ecclesiæ Cromstatinæ verbi
divini præconi meritissimo, fratri suo debito amoris & honoris cul-
tu perpetim colendo.

VT ET.

Viris Gravissimis & Spectatissimis:

Dn. DANIELI MOTERO, Illustrissimi ac Celsissimi Principis
ac Domini Dn. GEORGI. Hassiae Landgravii &c. à secretis inti-
mis, suo, ut naturâ ita amore, parenti ætatem colendo, amando.

Dn. IOHANNI ADAMO THILONI, Questori in Darmbstatt
dexterrimo & gravissimo Dn. Cognato & favoriti suo omni hono-
ris observantia afficiendo.

*Hasce studiorum suorum primitias in debita reverentia requiecerat &
grati animi suæ Colov consecrare & offerre voluit, debitis*

Georgius Daniel Moterus Darmbst.
Auth. & Resp.

AD
BIBL. UNIV.
MONAC.

85780

743



S Y N Θ E Ω

PROOEMIUM.

Octrina de Syllogismis utilitatem longè maximam esse neminem, nisi qui fœnum comedit aut peponem pro corde habet, inficias iturum arbitror: Ut enim contrainartificiosam digladiationem Athleticam nonnulli discunt, quod eā adjuti non incerti dimicent, sed indubitate cedant, & ictum exeat: Ita etiam arte syllogisandi probè instructi & muniti sophistica omne velum detrahere, veritatemq; in lucem protrahere possumus: Cum autem id non fiat syllogismis simplicibus tantum, verū etiam modificatis, non pulicis passus metiri me censeo, si dissertariunculam impræsentiarum de hac obscurā & sparsa doctrina conscriberem, quā obscuritate quidam permoti, ab eadem prorsus abstinuerunt, illam nobilissimam materiam ad extremos Indos & Garamantas relegarunt, eò quod nullus omnino fructus ab earendundet ad discentes, adeoq; plus studiosa ingenia turbet, quam juvet: Verū quæ hac dementia est, ut:

Ne verum agnolcat discere posse neget?

Sine incommmodo enim hac doctrinā difficulter carere possumus, cum syllogismos ex propositionibus constructos rectè percipere, & in disputationibus statum controversia rite constituere sape non valeamus, qui enim evaderet modalium ignarus si ei talis syllogismus proponeretur: Impossibile est damnatos salvari, Necesse est diabolos esse damnatos E. necesse est diabolos salvari.

Syllogismum hunc & ejusmodi alios admittere nolle, quia modales sunt, γελῶν λίγημα esset. Ut enim non licet Athleta leges antagonista ferre ne aliâ parte eum adoriatur, nisi quâ se probè jam ante muniverit: ita neque disputatori licitum est eas suo opponenti leges ferre, quibus constrictus, alio modo eum oppugnare non ausit, nisi quem ipse velegerit vel approbaverit. Quocirca hujus materiae utilitate allectus & necessitate permotus, sine ulterioribus ambagibus rem ipsam aggrediar, id ut fiat feliciter

— Porridge Jova
Auxiliatricem clementi numine dextram.

THE S I S . I.

Homonyma dextrè definiri atque explicari non posse nisi certa aliqua illorum significatio constituatur, tritum & decatatum est in Philosophorum Schola axioma. Quando verò hoc non sit, tunc

Erroris genetrix est equivocatio semper.

Ne igitur & hoc nobis contingat, vocabuli modi homonymiam prius ex parte evolvemus, quâ perspectâ, pende graduque postea inoffensioni in proposito nostro pergere valeâus. Ut igitur rectè intelligatur, quid sit Syllogismus modalis, ante omnia sciri oportet, quid intelligatur hic per modum.

II. Modus autem est duplex, alias est materialis, alias est formalis. Ille afficit materiam propositionis. h.e. modificat subjectum aut prædicatum. Hic verò afficit ipsam dispositionem & conjunctionem extremorum. Prioris generis modus est, cum dico : *Petrus studet diligenter,* hic enim vox diligenter modificat quidē, sed non nisi prædicatum, & indicat, quale vel cuiusmodi sit studium quod

Petro

Petro convenit. Atque hi modi nōn faciunt prōpositiōnem modalem, & consequenter non quodvis adverbium facit propositionem modalem. Sed ista solum particulae, quae faciunt modum in formā vel dispositione propositionis. Tales modi dicuntur formales, quia dispositio partium, quae per eū modi modos afficitur, est forma propositionis. Talis est particula: Necessariō, contingenter & similes, dicendo enim, *homo necessariō est animal*, aut: *homo contingenter est doctus* ubique significatur modus, secundū quem prædicatum subiecto conjungatur.

III. Ejusmodi modi propriètati sunt quatuor, *Necessitatem*, *Possibilem*, *Impossibilem*, *Contingens*. Quod ita probatur: Nā singulæ istæ particulae afficiunt ipsam dispositionem sive cohærentiam subiectū prædicato, quia indicant peculiarem rationem, quā prædicatum sit vel non sit coniunctum cum subiecto.

IV. Nunc ne solo nominis putamine nos oblectare videamur, justōve diutius ei inhærentes nucleus perdamus, recto jam pede ad rem ipsam seu definitionem, quæ est Αξχίσταντων principium omnium, imò cognitio, uti σαφῶς καὶ σοφῶς asserit senioris Philosophiæ primipilus Ari-t. 2. post: *Anal. c. 14. t. 1. 8. c. 3. t. 2.* ulterioribus omissis ambagi-bus nos accingimus.

V. Definitur autem communiter hoc modo: *Syllogismus modalis est, qui constat ex propositionibus modalibus aut omnibus; aut aliqua tantum, ut: Necesse est nullum hominem esse lapidem, Necesse est petrum esse hominem, E. Necesse est Petrum non esse lapidem.*

VI. Sciendum verò est Syllogismos modales alios vocari puros et quasi uniformes, alios mixtos et quasi difformes: Puri sunt, qui habent eundem modum in omnibus propositionibus, et dicuntur syllogismi ex puris ne-

cessariis, ex puris contingentibus &c: ut: *Necesse est omne animale esse corpus, Necesse est omnem hominem esse animal. E. Necesse est omnem hominem esse corpus.*

VII. Mixti modales dicuntur, qui vel miscentur ex modalibus omnibus diversorum tamen modorum, vel ex modali, & una de inesse (ita enim vocatur absolute propositiones) hujus exemplum esto tale: *Contingit animal dormire: Necesse est omnem hominem esse animal, E. Contingit omnem hominem dormire: Illius hoc accipe: Necesse est omne animal sentire, sed omnis homo est animal. E. Necesse est omnem hominem sentire, sed de syllogismis mixtis modalibus hanc vice non agemus, sed tantum de modalibus puris.*

VIII. Quod ergo primò omnium puros de modo *Necessè* attinet, talis regula ab Aristotele nobis propinatur: *In syllogismis modalibus ex puris necessariis sequitur conclusio necessaria in omnibus figuris & modis syllogismorum.* Exemplum est in thesi sexta. Ne autem omnino simus si sit arbor sine foliis, ales sine pennis, faber sine marculo, lepus sine pedibus, ut loquitur lectissimum illud ingenium. *Scal: exerc: 19. rationem hujus regulæ hanc damus, quia necessarius syllogismus sive is qui ex puris necessariis constat, non tantum in prima valet, sed semper etiam ad primam reduci potest, non mutato modo Necessarii.*

IX. Ubi observandum, quod quemadmodum argumentationes in prima figura, que conflantur ex propositionibus simplicibus confirmari debet per duo illa principia dici de omni & dici de nullo, ita etiam et hæc, que conflantur ex propositionibus modificatis in prima figura confirmari debeant per hæc eadæ principia: Et quemadmodum aliæ figuræ confirmandæ sunt, quò directò concludant, vel per reciprocationem propositionum, vel deniq; argumēto ducente ad incommodum. Ita pariter syllogismi

logismi cōpositi ex propositionibus |modificatis alia-
rum figurarum, confirmādi quoq; erunt aut reciprocatis
propositionibus, aut argumento ad incommodum du-
cente.

X. Quod igitur ex puris necessariis *Aristoteles*
docet sequi conclusionem necessariam in omnibus figu-
ris et modis syllogismorum, in eo ipsi recentiores contra-
dicunt, de tertia enim figura non concedunt eam semper
ex puris necessariis necessariam concludere.

XI. In prima et secunda quidem figura id non ne-
gant, nisi quod in secunda modum *Baroco* quidam excipi-
ant, sed sine solidâ ratione; si enim major, quæ est universa-
lis affirmans, quemadmodum in simplicibus, convertatur
per contrapositionem, nulla causa est, quare syllogismi in
Baroco ex puris necessariis non etiam puras necessarias
in reductione ad primam figuram retineant.

XII. Unde ex dictis satis clare constat, facili ne-
gotio reduci posse *Baroco* ad primam figuram hoc modo:
*Syllogismus in Baroco est: Necesse est omnem hominem senti-
re, Necesse est quandam creaturam non sentire, E. Necesse est quan-
dam creaturam non esse hominem, Reductus ita habet: Necesse
est quicquid non sentit non esse hominem, Necesse est quandam crea-
turam non sentire, E. Necesse est quandam creaturam non esse ho-
minem.*

XIII. Sed in tertia figura regulam universaliter
veram esse non concedunt, quia ex veris præmissis falsam
conclusionem se elicere opinantur. Adducunt exemplū:
*Necesse est omnem Philosophum esse doctum, Necesse est omnem Phi-
losophum esse hominem, E. Necesse est quandam hominem esse do-
ctum: Hæc conclusio, ajunt, falsa est, non enim hominem
doctū esse necesse est, sed contingit, quia doctrina ei noa
nisi contingenter inest.*

XIV. De-

XIV. Deinde existimant hunc et ejusmodi alios tertiae figuræ syllogismos ad primam non reduci posse, quia alioquin minor hujus syllogismi, quæ indicante litera P. in Darapti in reductione convertitur per Accidens, non redderetur necessaria sed contingens & reduceretur ita quidem: *Necessum est omnem Philosophum esse doctum: Contingit quendam hominem esse Philosophum E.* *Contingit quendam hominem esse doctum.* Conclusio n. hic necessaria non sequitur in prima, quia major hic necessaria est, & minor contingens.

XV. Hic dicunt quidam, adhuc in mundo esse responsonem, quæ Aristotelem juvet, si scilicet dicatur, compositam modalem mutandam esse in divisam, hoc modo: *Omnis Philosophus est necessariò doctus, omnis Philosophus est necessariò homo, E.* *Quoddam quod est necessariò homo est necessariò doctum.* sed cum brevioribus spatiis in Lyceo ambulandum sit, docente subtilis alia viro Scalig. Exerc: i. sect. i. et exerc: 35. Ideoq; quid de hac responsonē sentiamus, desideranti in ipso disputationis confictu mētem nostram apriemus.

XVI. Hactenus exposuimus, quæ conclusio sequatur ex propositionibus affectis modo necesse: Reliquum est jam, ut quænam conclusio sequatur ex propositionibus modo contingens affectis inferri soleat declaramus. Ne autem quem decipiatur homonymia vocabuli *Contingentis*, sciri oportet quotupliciter *Contingens* sumatur.

XVII. Sumitur *Contingit aliquādo latē ac dicitur de omni eō quod fit*, sive id necessariō fiat sive contingenter, de quo contingentī nihil hic agimus, sed de eo quod non est necessarium: *Deinde aliquando etiam contingens dicitur Cōtingens raro*, ut si quis fodens terram thesaurum

rum inveniat. Tertiò contingens ut in plurimum, sicut homo nascitur cum quinq; digitis in singulis manibus. Et deniq; quartò contingens ad utrumlibet, velut si homo ambulet aut legat: Nam tam indifferens est homo ad ambulandum quam ad non ambulandum, et ad legendum, quam ad non legendum.

XII X. His ita prælibatis tradimus cum recentioribus de modo Contingens sequentem regulam: *Syllogismi modales ex puris contingentibus in nulla figura & modo recte concludant, hoc est, conclusionem colligunt contingentem.* Ratio hujus regulæ est quia in prima figura ex veris præmissis sequitur conclusio falsa, ut hoc exemplum ostendit: *Contingit omnem hominem moveri, Contingit omne currens esse hominem, E. Contingit omne currens moveri.* Quæ conclusio falsa est, non enim quod currit, contingenter movetur, sed necessariò, quia nullus cursus absque motu esse potest. Quod si igitur in prima figura ex contingentibus nihil concluditur, neq; in cæteris quicquam sequetur, quia propter reductionem ad primam id fiat necesse est.

XIX. Nulla igitur est responsio illorum, qui ex mente Aristotelis ajunt: I. propositionem majorem mutandam esse in divisam et tum in propria sua facie falsitatem apparitaram. II: Vocem Contingit in sensu Aristotelico sumi vel in genere pro omnico, quod aliquando fit vel fieri potest, ita ut τὸ ἐνδεχόμενον comprehendat & τὸ ἀναγνωρίζον τὸ μὴ ἀναγνωρίζον τὸ δυνατὸν ex i prior: cap. 3, vel in specie, pro modo affirmativo significante rem ita nunc esse, ut possit non esse: Posteriori sensu conclusionem esse fallam; sensu vero priori admittendam. Hæc enim omnia bonitatem hujus modi minus commodè salvant, uti σὺ Θεῷ futura demonstrabit οὐχίτως.

XX. A modo contingit, progredimur ad modū

B

Possibile:

Possibile. In hoc autem eadem est concludendi ratio, quæ
in modo contingit, sicut in hoc vi formæ nihil sequitur,
ita nec ex illo conclusio vera sequi potest. E. G. **Possibile** est
omne currens esse bestiam. **Possibile** est **omne visibile esse currens,**
E. Possibile est **omne visibile esse bestiam.** Conclusionem esse
falsissimam qui non videt, næc cœcutit, cum nihilominus
utraq; præmissa sit verissima. Quod si autem syllogismus
ex puris possibilibus in prima figura parit ~~aduallatio~~ multo
magis in cœteris illegitimam concludendi formam ha-
bebit ob rationem in *thes. 18. allatam.*

XXI. De syllogismis ex puris impossibilibus idem
videtur esse judicium, nihil videlicet sequi, si syllogismus
ex puris impossibilibus constet, cuius ratio est quia parti-
bus ex puris sequitur nil atq; negatis, uti palatii Philosophici
proceres decreverunt, siquidem modus **Impossibile**
re ipsa omne tempus tollit, exemplum sit tale: **Impossibile**
est omnem hominem esse lapidem. **Impossibile** est **omnem adamantem esse hominem.** **E. Impossibile** est **omnem adamantem esse lapi-
dem.** Hujus syllogismi conclusio falsissima ex veris præ-
missis inferitur.

XXII. Et hæc quæ de syllogismis modalibus pu-
ris dici posse videbantur, rudi & crassa Minervâ delineata
sufficiant. Nos hic pedem figimus, reliqua, quæ fortassis
alioris sunt indaginis ipsi conflictui & examini publico,
nisi divinæ benignitatis aura nos defecerit, reservantes.
Nunc

*FInIIs It ihsIVM : TriadI sI gratIa, honorq; Vc
SIt patrI & nato SpIrltVlq; Vc saCro.*



COROL-

COROLLARIA. LOGICA.

An modus Darapti aliquando eliciat falsum? N.

An dentur Argumentationes, quæ nec formalem nec materialem habent consequentiam. A.

PHYSICA.

An sol tempore Paschatos verè subsiliat? N.

An vespertino sit avis? N.

ETHICA.

An liceat incedere larvis bacchicis? N.

An licitum sit & concessum pro alecrinis, qui cuncte ille sit salute bibere? A.

POLITICA.

An liceat stratagematibus uti? A.

Magistratus recte interdicit subditis venationibus ferarum.

ERVDITIONE ET VIRTUTE HUMANISSIMO,

Dn. GEORGIO DANIELI MOTERO,
publicè disputaturo, S. P. P.

Quod Motere facis, facis egregie, atque decoras
Hinc patrem, hinc fratrem & laude & honore tuum:

Hoc est hoc ipsum, quod dico hinc, quæris honores,

Quos tibi conciliat Musa Magistra suos.

Legitima hos quæris bene per certamina juxta

Musarum ingenuas quæ instituuntur opes:

Hos verò aggredieris quærendos tramite recto

Hos tibi concilias ordine & euge. Viâ:

His bene perge viis, his masclè incede, coronam,

Nec dubita, indubiam atque inde Motere feres.

Cui venienti olim maturè applaudo coronæ

Sic voto, hoc tenui carnime & ipse meo;

M. Conradus Grebner.

• 8 [• •] 90

Aliud.

A L I U D.

Motere, studii elegantioris
Flos, & delitium tui parentis
Audistin fieri, ut, cui trilustris
Ætas jam juveni fuit paracta,
Is de re graviore disputaret?
Negabunt, puto, plurimi esse factum;
Ast hoc nunc fieri, *theses Modales*
Testantur: probo, quis pius reprēdat
Conatum? *Logica* modò vireta
Perge invisere, & hunc & illum & istū
Florem carpere: deinde amœniores
Perlustra *Sophia* decenter hortos.
Nam sic Argyropes nitens Lycéum,
Fructus ne pereant tui laboris,
Imponet capitituo corollam.
Cessetis teneri mei phaleuci
Nunc consanguineo meo suavī,
Hanc ob materiam sat implicatam,
Lubentes, meritoque gratulari.

A N N O.

HeV BeLLona fvrens In orbe toto
SæVIt! tV Mlseros, DeVs, tVere!

Ita
Gratulab. Consobrino suo dilecto

M. Ioh- Daniel Victor Dartmbstainus.

F I N I S.

[+]